

bus illabuntur; & per consequens etiam impressionem habent in potentias affixas organis; quarum operationes immutantur ad immutationem organorum, sicut est sensus imaginationis, & huiusmodi; sic etiam per accidens eorum operatio resultat in intellectum, cuius objectum est phantasia, sicut color visus, ut dicitur in III. de Anima. Sed tamen hoc non pervenit usque ad voluntatem: quia voluntas neque quantum ad actum, neque quantum ad objectum dependet ex organo corporali: quia objectum suum ab intellectu accipit, secundum quod intellectus apprehendit aliquid in ratione boni.

Ad primum ergo dicendam, quod dæmon dicitur non intus adesse simulacro, quasi virtus conjuncta, ita quod ex dæmone, & simulacro fiant unum, sicut idolatræ putabant aliquod numen in imaginibus corporalibus esse.

Ad secundum dicendum, quod anima non est in corpore sicut in loco, sed sicut forma in materia; & ideo non est unius rationis operatio quam anima in corpus efficit, & dæmon: unde sine confusione operationum utrumque simul in eadem corporis parte esse potest.

Ad tertium dicendum, quod esse intra aliquid, est esse intra terminos ejus. Corpus autem habet terminos duplicis rationis, scilicet quantitatis, & essentiae: & ideo Angelus operans intra terminos corporalis quantitatis, corpori illabitur; non autem ita quod sit intra terminos essentiae suæ, nec sicut pars, nec sicut virtus dans esse: quia esse est per creationem à Deo. Substantia autem spiritualis non habet terminos quantitatis, sed tantum essentiae: & ideo in ipsam non intrat nisi ille qui dat esse, scilicet Deus creator, qui habet intrinsecam essentiae operationem: alia autem perfectiones sunt superadditæ ad essentiam: unde Angelus illuminans, non dicitur esse in Angelo, & in anima, sed extrinsecus aliquid operari.

Ad quartum dicendum, quod formæ quæ videntur in istis præstigiis, non sunt nisi in sensu. Hoc autem potest dupliciter contingere per dæmonum operationem. Uno modo ut species quæ sunt in imaginatione servatæ, operatione dæmonum ad organa sensuum fluant, sicut contingit in somno: & ideo quando illæ species contingunt organa sensus exterioris, videntur ac si essent res præsentis extra, & actu sentirentur. Alius modus potest esse ex immutatione organorum, quibus immutatis, fallitur sensus iudicium, sicut in eo qui habet gustum corruptum, cui omnia videntur amara. Hoc autem facere possunt virtute quorundam rerum naturalium, sicut ad vaporisationem cuiusdam fumi trabes domus videntur serpentes, & multa experimenta huiusmodi inveniuntur.

Ad quintum dicendum, quod cogitationes cordium scire solius Dei est. Possunt tamen Angeli aliquas earum conicere ex signis corporalibus exterioribus, scilicet ex immutatione (1) vultus, sicut dicitur:

*In vultu legitur hominis secreta voluntas;*  
& ex motu cordis, sicut per qualitatem pulsus etiam à medicis passiones animæ cognoscuntur.

Ad sextum dicendum, quod mali Angeli cogitationes immittunt, ut prius dictum est, illustrando phantasmata, ut secundum diversas eorum compositiones possint novæ intentiones ab eis accipi. Non tamen intellectus cogitur eas accipere: quia præter objectum, & potentiam cognoscentem, exigitur ad

actualement cognitionem intentio cognoscentis vel per sensum, vel per intellectum. Sed boni Angeli etiam directe in intellectum imprimere possunt: quia secundum Augustinum, Lib. X. de Civit. Dei cap. XVI.; operantur in intelligentias nostras miris quibusdam modis. Hoc autem est in quantum lumen intellectus agentis nostri confortatur per intellectualem lumen ipsorum. Sed hoc dæmonibus non competit: quia quamvis naturale lumen eorum sit efficacius quam lumen intellectus nostri, tamen lumine gratiæ non sunt perfecti, sed tenebris culpæ obumbrati: & ideo non intendunt iudicium rationis nostræ rectificare per confortationem intellectualem luminis, sed aliqua nobis ostendere ex quibus decipiamur: quod faciunt phantasmata illustrando.

Ad septimum dicendum, quod dæmones dicuntur incitatores, in quantum faciunt fervere sanguinem; & sic anima ad concupiscendum disponitur, sicut etiam quidam cibi libidinem provocant. In voluntatem autem imprimere solius Dei est: quod est propter libertatem voluntatis, quæ est domina sui actus, & non cogitur ab objecto, sicut intellectus cogitur demonstratione. Unde patet ex prædictis quod dæmones imprimunt in phantasmata, sed Angeli etiam in intellectum; Deus autem solus in voluntatem.

## ARTICULUS VI.

*Utrum Deus apparuerit in figuris corporalibus.*

1. **A**D sextum sic proceditur. Videtur quod ipse Deus in corporalibus figuris non apparuerit. Huiusmodi enim apparitiones factæ patribus in Prophetis, factæ sunt mediantibus Angelis, quorum etiam dispositione lex tradita est, ut dicitur Act. VII. & ad Hebr. II. Sed ille apparet qui immediate revelationem facit. Ergo videtur quod in huiusmodi formis corporalibus Deus non apparuerit.

2. Præterea. Angelus apparens visibiliter, assumit corpus in quo videtur. Sed Deus numquam assumpsit corpus, nisi in unitate personæ. Ergo videtur quod ipse in corporalibus figuris non videatur.

3. Præterea. Angelus qui apparet in aliquo corpore, est in eo in quo prius non fuerat. Sed in illis creaturis in quibus apparet dicitur Deus, non est nisi sicut prius fuerat, scilicet per essentiam, præsentiam, & potentiam. Ergo videtur quod ipse Deus non apparebat.

4. Præterea. Si ipse Deus apparuerit, ergo videtur quod missio visibilis facta fuerit in veteri testamento, sicut etiam in novo: quod à sanctis negatur.

Sed contra est quod dicitur Exodi xx. 3. ubi Dominus loquitur ad populum dicens: (2) *Non erunt tibi alii dii præter me:* & frequenter etiam invenitur: *Ego Dominus.* Ergo videtur quod ipsemet Deus apparuerit.

Præterea. Isai. VI. 1. dicitur: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum:* quod non potest convenire nisi ipsi Deo. Ergo videtur quod ipsum Deum viderit.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Deus secundum essentiam suam corporalibus oculis numquam videri potest, nec etiam intellectu, nisi à beatis; sed in corporalibus formis hominibus apparuit. Hæc autem ap-

(1) *Al. virtutis, Nicolai visus.* (2) *Vulgata: Non habebis deos alienos coram me.*

paratio facta est ministerio Angelorum, ut dicit Augustinus in Libro de Trinitate (III. cap. XI.) quia divina illuminationes non veniunt in nos, nisi mediante cœlesti hierarchia, ut dicit Dionysius. Unde in omnibus illis apparitionibus corporalibus corpus formatum est, & assumptum, & motum ab Angelo; sed tamen in corpore assumpto per Angelum dicitur apparere Angelus, & aliquando Deus. Formatio enim, & apparitio corporis assumpti, ut dictum est, fit ad ostendendas proprietates spiritualium substantiarum. Quandoque enim Angelus, qui immediate illuminat hominem, vult instruere eum de propria virtute quam ipse habet; & tunc in corpore illo exprimit similitudines suæ virtutis; & sic dicitur ille inferior Angelus apparere. Aliquando autem vult instruere hominem de virtute divina, vel etiam superioris Angeli, per quem operatur; & tunc format corpus assumptum ad exprimendam eminentiam divinæ majestatis, vel etiam proprietates superioris Angeli; & tunc dicitur Deus apparere, vel ille superior Angelus: & hoc etiam Gregorius dicit in Glossa (a) Exodi III. assignans causam quare Angelus qui loquebatur Moysi, quandoque vocatur Angelus, quandoque Dominus.

Et per hoc patet responsio ad primum: quia non dicitur apparere ille Angelus qui immediate corpus format, sed Deus, cuius proprietates in figura ostendi corporis significantur.

Et similiter ad secundum: quia quamvis Angelus corpus format, vel moveat; non tamen ipse apparere dicitur, ratione jam dicta, sed Deus.

Ad tertium dicendum, quod Deus erat in illis creaturis novo modo, sicut signatum in signo.

Ad quartum dicendum, quod immissio visibilis divinæ personæ differt ab apparitione: de qua differentia dictum est in I. dist. XVI.

## EXPOSITIO TEXTUS.

*Ad patiendum humor, & humus; ad faciendum aer, & ignis aptitudinem habent.* Videtur hoc esse

## DISTINCTIO IX.

*De ordinum distinctione, & quot sint, & quid sint.*

**P**ost prædicta, superest cognoscere de ordinibus Angelorum quid Scriptura tradat, quæ in pluribus locis novem esse ordines Angelorum promulgat, scilicet Angelos, Arcangelos, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim. Et inveniuntur in istis ordinibus tria terna esse, & in singulis tres ordines, ut Trinitatis similitudo in eis insinuetur impressa. Unde Dionysius (Lib. de cœl. Hier. cap. VI.) tres ordines Angelorum esse tradit, ternos in singulis ponens. Sunt enim tres ordines superiores, tres inferiores, tres medii. Superiores, Seraphim, Cherubim & Throni. Medii, Dominationes, Principatus, Potestates. Inferiores, Virtutes, Archangeli, & Angeli.

*Quid appelletur ordo, & quæ sit ratio nominis cujusque.*

**H**IC considerandum est, quid appelletur ordo: deinde utrum ab ipsa creatione fuerit distinctio illorum ordinum. Ordo Angelorum dicitur multitudo cœlestium spirituum qui inter se in aliquo munere gratiæ assimilantur, sicut & in naturalium datorum munere conveniunt: verbi gratia, Seraphim dicuntur qui præ

*In II. Sent. Tom. II.*  
(1) *Al. Visibile est quicquid non est &c.* Istud absolute verum non est &c. (2) *Al. Per energumenos &c.*

(3) *Inaspicata explicatio, nec satis græcæ voci respondens: ait Nicolajus.*  
Ex Edit. P. Nicol. (a) *Vel in præfatione Moralium, unde sumpta est à Glossa illa: sic enim ibi: Angelus qui Moysi apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur. Angelus qui exterius loquendo serviebat, Dominus, qui interius præsidens loquend. efficaciam ministrabat.*



aliis ardenti caritate: Seraphim enim interpretatur ardens, vel succedens. Cherubim, qui prae aliis in scientia eminent. Cherubim enim interpretatur plenitudo scientiae. Thronus dicitur sedes. Throni autem vocantur, ut beatus Gregorius ait (hom. xxxiv. in Evang.) qui tanta Divinitatis gratia replentur, ut in eis sedeat Deus, & per eos judicia discernat, atque informet. Dominationes vero vocantur qui Principatus, & Potestates transcendunt. Principatus dicuntur qui sibi subditis, qui hoc caeteris potentius in suo ordine acceperunt, ut (1) ministeria principantur. Potestates nominantur hi qui hoc caeteris potentius in suo ordine acceperunt, ut virtutes adversae eis subjectae eorum refrangentur potestate, ne homines tentare tantum valeant quantum desiderant. Virtutes vocantur illi per quos signa, & miracula saepe fiunt. Archangeli qui majora nuntiant, Angeli qui minor.

*Quod haec nomina non propter se, sed propter nos eis data sunt, quae sumpta sunt a donis gratiae, quae non habent singulariter, sed excellenter; & a praecipuis nominantur.*

**H**AEC nomina non propter se, sed propter nos eis data sunt. Qui enim sibi noti sunt contemplatione, nobis innotescunt cognominatione, & nominantur singuli ordines a donis gratiarum, quae non singulariter, sed excellenter data sunt in participatione. In illa enim caelesti patria, ubi plenitudo boni est, licet quaedam data sint excellenter, nihil tamen possidetur singulariter: omnia enim in omnibus sunt, non quidem aequaliter, quia alii aliis sublimius possident, quae tamen omnes habent. Cumque omnia dona gratiarum superiores ordines sublimius, & perfectius perceperint, tamen ex praecipuis sortiti sunt vocabula, inferioribus caetera relinquentes ordinibus ad cognominationem; ut Seraphim, qui ordo excellentissimus aestimatur, tam dilectionem, quam cognitionem Divinitatis, & caetera virtutum dona, caeteris omnibus sublimius, & perfectius percepit; & tamen ab excellentiori dono, id est a caritate, nomen accepit ille superior ordo: majus enim donum est caritas quam scientia (I. Corin. 13.) Item majus est scire quam judicare: scientia namque informat iudicium: ideoque secundus ordo a secundo dono, id est a cognitione veritatis, appellatus est, scilicet Cherubin: ita & de aliis intelligendum est. Assignatur ergo excellentia ordinum, secundum excellentiam donorum; & tamen, sicut Gregorius ait (ubi supra) illa dona omnibus sunt communia. Omnes enim ardent caritate, & scientia pleni sunt, & sic de aliis. Sed superiores aliis excellentius, ut jam dictum est, ipsa dona acceperunt, a quibus & nominantur. Unde Gregorius (ibidem), „In illa summa civitate quisque ordo, ejus rei censetur nomine quam plenius accepit in munere.“ Sed oritur hic quaestio talis. Si quisque ordo ab illo dono nominatur quod plenius possidet, tunc Cherubim in scientia praeminet omnibus, quia a scientia nominatur. Sed qui magis diligit, plus cognoscit. Tantum enim, ut tradit auctoritas, cognoscit ibi quisque quantum diligit. Itaque Seraphim non solum in caritate, sed etiam in scientia praeminet. Ideoque auctoritas illa sic videtur intelligenda, ut comparatio non referatur ad omnes ordines, sed ad quosdam, scilicet inferiores. Ille enim ordo non plenius Seraphim accipit scientiam in munere, sed ad quosdam, qui sunt inferiores. Nec nominatur quisque ordo ab omni re quam plenius aliis accepit, sed ab aliqua rerum quas accepit. Vel potest comparatio referri non ad ipsos ordines, sed ad alia dona; nec ad omnia alia dona, sed ad quaedam. Sicut enim homines cum plura habeant dona, quaedam aliis excellentius possident; ita forte & Angeli quibusdam muneribus magis pollent, & aliis quibusdam minus.

*Utrum hi ordines ab initio creationis ita distincti fuerint.*

**J**AM nunc inquirere restat, utrum isti ordines a creationis initio ita distincti fuerint. Quod ita fuerint distincti a primordio suae conditionis, videtur testimonio auctoritatis insinuari, quae tradit, de singulis ordinibus aliquos cecidisse. De ordine namque superiori Lucifer ille fuit, quo nullus dignior conditus est. Apostolus etiam (Ephes. vi.) principatus, & potestates tenebrarum nominat, ostendens de ordinibus illis cecidisse, qui cum in malis ministerium exercent, non tamen penitus nominibus suorum ordinum privati sunt. Sed non videtur illud posse stare: non enim tunc caritate ardebant, nec sapientia pollebant, neque in eis Deus sedebat: si enim hoc habuissent, non cecidissent. Non ergo tunc erant Seraphim, vel Cherubim, vel Throni. Ad quod dicimus, quia ante casum quorundam non erant isti ordines, quia nondum habebant dona, in quorum participationibus conveniunt; sed quibusdam cadentibus, aliis apposita sunt, eisque qui ceciderunt collata fuissent eadem dona, si perstitissent. Ideoque Scriptura dicit, de singulis ordinibus cecidisse aliquos: non quod fuerint in ordinibus, & postea corruerint; sed quia si perstitissent, eorum aliqui in singulis fuissent ordinibus, qui & in natura tenuitate, & in formae perspicacitate differentes gradus habebant, sicut illi qui perstitierunt. Alii enim, ut supra diximus (dist. 1.) superiores, alii inferiores conditi sunt: superiores, qui magis natura subtiles, & sapientia amplius perspicaces; inferiores, qui natura minus subtiles, & intelligentia minus perspicaces facti sunt. Has autem invisibiles differentias invisibilium ille solus ponderare potuit qui omnia in numero, & mensura, & pondere disposuit (Sap. xi.) id est, in seipso, qui est mensura omni rei modum praefigens, & numerus omni rei speciem praebens, & pondus omnem rem ad stabilitatem trahens, id est terminans, & formans, & ordinans omnia (ut Augustinus dicit Lib. IV. de Gen. ad lit. cap. 111.)

*Utrum omnes Angeli ejusdem ordinis sint aequales.*

**P**raeterea considerari oportet, utrum omnes Angeli ejusdem ordinis sint aequales. Ita esse quibusdam placuit; sed non est hoc probabile, nec assertionem dignum. Quia Lucifer, qui fuit de collegio superiorum, ipsis etiam dignior exiit, qui aliis excellentiores creati fuerant. Ex quo percipitur quod si perstitisset, in ordine superiori fuisset, & aliis ejusdem ordinis dignior exiisset. Sicut enim unus est ordo Apostolorum, &

(1) Al. mysteria.

alter martyrum; & tamen (2) in Apostolis alii aliis sunt digniores; similiter & in martyribus alii aliis sunt superiores: ita & in ordinibus Angelorum recte creditur esse.

*Quomodo dicat Scriptura, decimum ordinem ex hominibus compleri, cum non sint nisi novem ordines Angelorum.*

**N**Otandum etiam, quod decimus ordo legitur de hominibus restaurandus, sed cum non sint nisi novem ordines, nec plures fuissent, etiam si illi perstitissent qui ceciderunt; moventur lectores, quomodo Scriptura (3) dicat, decimum ordinem compleri ex hominibus. Gregorius namque dicit, ubi supra, homines assumendos in ordinem Angelorum: quorum alii assumuntur in ordinem superiorum, qui scilicet magis ardent caritate; alii in ordinem inferiorum, qui scilicet minus perfecti sunt. Ex quo apparet non esse de hominibus formandum decimum ordinem, tanquam novem sint Angelorum, & decimas hominum; sed homines pro qualitate meritorum statuendos in ordinibus Angelorum. Quod ergo legitur decimus ordo complendus de hominibus, ex tali sensu dictum fore accipi potest, quia de hominibus restaurabitur quod in Angelis lapsus est, de quibus tot conuertant, ut possent fieri decimus ordo. Propter quod Apostolus dicit, omnia restaurari in Christo quae in coelis, & quae in terris sunt: quia per Christum redemptum est humanum genus, de quo fit reparatio tunc angelice. Tamen non minus salvaretur homo, si Angelus non cecidisset.

*Quod homines assumuntur juxta numerum stantium, non lapsorum.*

**N**ON enim juxta numerum eorum qui ceciderunt, sed eorum qui permanserunt, homines ad beatitudinem admittuntur. Unde Gregorius, loc. cit., „Superna illa civitas ex Angelis, & hominibus constituta: ad quam credimus tantos humani generis ascendere, quantos illic contigit Angelos remansisse, sicut scriptum est in Cantico Deuteronomii, cap. xxxi. 8: Statuit (4) terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei.“

*Quod quidam putant, secundum numerum lapsorum Angelorum, homines reparandos.*

**A** quibusdam tamen putatur quod homines reparentur juxta numerum Angelorum qui ceciderunt, ut illa caelestis civitas nec suorum civium numero privetur, nec majori copia regnet. Quod Augustinus in Enchir. cap. xxix. sentire videtur, asserens de hominibus plus salvari quam corruit de Angelis, sed non minus, ita dicens: „Superna Hierusalem mater nostra, civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur; aut uberiore etiam copia fortasse regnabit. Neque enim numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum demonum novimus, in quorum locum succedentes filii catholicae matris, quae sterilis apparebat in terris, in ea pace de qua illi ceciderunt, sine ullo temporis termino permanebunt. Sed illorum civium numerus, sive qui est, sive qui fuit, sive qui futurus est, in contemplatione ejus artificis est qui vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt.“ Ecce aperte dicit, non minus de hominibus salvari quam corruit de Angelis; sed plus non asserit.

#### DIVISIO TEXTUS.

**D**eterminatis his quae pertinent ad statum creationis Angelorum, & ad distinctionem eorum per conversionem, & aversionem, hic determinat ea quae pertinent ad dignitatem honorum: & dividitur in partes duas. In prima determinat de distinctione ordinum; in secunda determinat quosdam actus qui sequuntur ordines distinctos, x. dist. *Hic etiam investigandum est, utrum omnes illi caelestes spiritus ad exteriora nuntianda mittantur.* Prima in duas. In prima determinat ordinem Angelorum distinctionem; in secunda ostendit quomodo homines assumuntur ad ordines Angelorum, ibi: *Est notandum quod (5) decimus ordo legitur de hominibus restaurandus.* Prima in tres. In prima ostendit ordinum distinctionem; in secunda distinctionis principium quantum ad durationem, ibi: *Jam nunc inquirere restat, utrum & isti ordines a creationis initio ita fuerint distincti;* in tertia distinctionis modum quantum ad aequalitatem, ibi: *Praeterea considerari oportet utrum omnes Angeli ejusdem ordinis aequales sint.* Circa primum tria facit. Primum ponit ordinum distinctionem, secundo assignat distinctionis rationem, ibi: *Hic considerandum est quid appelletur ordo;* tertio assignat causam nominationis ipsorum, ibi: *Haec nomina non propter se, sed propter nos eis data sunt.* Et circa hoc duo facit. Primo determinat veritatem; secundo excludit objectionem, ibi: *Sed oritur hic quaestio talis.* *Notandum est etiam, quod decimus ordo legitur de hominibus reparandus.* Hic ostendit quomodo homines ad Angelorum ordines assumuntur, & circa hoc duo facit. Primo ostendit per quem modum assumuntur, utrum ad unum ordinem decimum, vel ad omnes novem. Secundo ostendit eorum qui assumuntur numerum, ibi: *Non enim juxta numerum eorum qui ceciderunt, sed eorum qui permanserunt, homines ad beatitudinem admittuntur.* Ubi duo facit. Primo ostendit veritatem; secundo excludit contrarietatem, ibi: *A quibusdam tamen putatur quod homines reparentur juxta numerum Angelorum qui ceciderunt.*

#### Q U A E S T I O I I.

#### H I C

quaruntur octo.

Primo. Quid sit hierarchia.

Secundo. De actibus hierarchiae.

Tertio. De distinctione hierarchiarum & ordinum.

Quarto. De nominatione ordinum distinctorum.

Quinto. De aequalitate ordinum.

(2) Al. in Apostolis alii digniores. (3) Scripta Patrum, vel Auctorum sacrorum intellige. Sed quis hoc dixerit non occurrit. (4) Ita Septuaginta: Vulgata vero: Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. (5) Al. divinus ordo.